

Nicolaus Schütze

Programma Quo Rector Universitatis Rostochiensis Nicolaus Schütze/ Iur. U.D. & Profess. Ad Exequias Quas Matronae ... Sophiae Schraders Coniugi ... Dn. Joannes Petraeus, Consul Reipub. Rostochiensis gravissimus, Nunc viduus ... paratas cupit Omnes Reipubl. literariae Cives ... invitat

Rostochi[i]: Kilius, 1652

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn777423243>

Druck Freier  Zugang




S ch ü t z e , N. ,

in

S. S c h r a d e r .

Rost. 1652.

49.



PROGRAMMA
Quo
RECTOR
Universitatis Rostochiensis

NICOLAUS Schütze/
Juri. D. & Profess.
Ad exequias
Quas
Matrona pientissima honestissimaq;
SOPHIE Schraderis

Conjugi sua desideratissima Vir Amplissimus
& Consultissimus
DN. JOANNES PETRÆUS,
Consul Reipub. Rostochiensis
gravissimus,

Nunc viduus (dolor!) mastifissimus
paratas cupit

Omnes Reipubl. literariæ Cives officiosè
& per amanter invitati.

ROSTOCHI,
Typis NICOLAI KILI, Acad. Typogr.
Anno 1652.



Uovis in loco, nullâ non die, nullâ non horâ, imò nullo non momento horæ, puncto que temporis metuenda mors est. Cujus rei significandæ gratiâ clepsydra, quâ veteres utebantur, sive ut nos loquimur clepsammidium in imaginibus spectabatur, ut quoties horologij cujuscunq; in mente nobis venit, in horas demi aliquam vitæ partem, & tunc quoq; cùm crescimus, vitam decrescere meminerimus. Pulchrè, ut solet, in hanc rem Seneca, gravissimus auctor: *Quosidie morimur, inquit; quotidie enim demitur aliqua pars vita: & tunc quoq; cum crescimus, vita decrescit.* Infantiā amissimus, deinde puericiā, deinde adolescentiam: usque ad hesternum, quicquid transiit temporis, periit. Hunc ipsum quem agimus diem, cum morte dividimus. Quemadmodum clepsydram non extremum stillidium exhauste, sed quicquid antea defluxit: Sie ultima hora, quâ esse desinimus, non sola mortem facit, sed sola consummat. Tunc ad illam pervenimus, sed diu venimus. Addit autem tanquam epiphonema versum, Lucillij planè memorabilem:

Mors non ultima vénit, qua rapit ultima, mors est.

Non quæ venit, & jam præteriit, mors est: sed illa propriè, quæ rapit ultima, & nos aufert. Cujus sententia veritatem et si omnium in universum confirmat experientia;

rientia: in iis tamen magis conspicitur, qui morbo op-
pressi diurno, illis, quæ in morbo, ut rursus Seneca,
loquitur, gravia sunt, metu mortis, dolore corporis, vo-
luptatum intermissione cruciantur. Illorum enim con-
ditionem si cum iis comparemus, qui vix paucorum die-
rum valetudine adversâ tentati, aut etiam repentino ali-
quo casu vitam finiunt; hos quidem unam: illos verò
innumeræ mortes pertulisse dixerimus. Neque verò
humana sapientia causam invenire potest, cùm uno mo-
do omnes nascamur, cur non unâ omnes item ratione,
denascamur. Sola sacra Scriptura non casu ista sic fieri:
sed à divina docet voluntate profici; atque ita qui-
dem ut Deum amantibus omnia, quantumvis ardua vi-
deantur & aspera, ad bonum adjumento sint, neque eos
ulla vel calamitas, vel angustia, vel vexatio possit à di-
lectione Dei separare ac divellere. Ut autem sapientis
non est communem recusare fortunam, & propriam,
postulare, sed quamvis id fiat, nihilo tamen secius ratum
manet decretum illud: Cuivis potest accidere, quod
cuiquam accidit: unde sapiens Hebræus mortuum in-
ducit his verbis superstites compellantem: memento
judicii mei; erit enim tale etiam tuum: mihi heri, & tibi
hodie: Sic prudentiæ est Christianæ nullam augendæ
veræ pietatis occasionem negligere. Hanc ergò cùm
etiam hodierno die nobis Deus præbere voluerit, non
decet pietatis & humanitatis studiosos sibi deesse. Vo-
camur enim rursus ad domum luctūs, quam meliorem
sapientiæ scholam esse Regum sapientissimus, quam do-
mum convivij pronunciat. Nam post morbum sane
diurnum vitam in his terris tandem suam placide finiit
SOPHIA Schraders matrona honestissima, viri amplissimi consultissimique **DN. JOANNIS PETRÆI**

A 2

Con-

Consulis de hac Repub. meritissimi Coniux, de cuius
ortu, vita & obitu quæ accepimus, quām poterimus bre-
vissimè pro more referemus. Nata igitur est anno clo. I.
LXXX. Patre **G E O R G I O S C H R A D E R O**,
viro antiquæ virtutis & fidei, ex paretustâ apud Brun-
svicenses **S C H R A D E R O R U M** familiâ oriundo:
Qui ab illustrissimo Duce Brunsvicensi ad ministeria
primum vocatus, postea illustrissimo celsissimoque
Principi ac Domino Domino **U L D A R I C O** Duci
Mecklenburgico de meliore commendatus, ad Præfe-
cturam Gnojensem electus fuit, cui summâ industria ac
fide per aliquot annos & quidem tantisper præfuit, dum
heic Rostochij pedem fixit, & vinculo conjugali sese
obstrinxit. Matrem habuit **I L S E B E N** Hoven fæmi-
nam omni matronalium virtutum laude præstantem. Ex
his parentibus feliciter nata, & per lavacrum renovatio-
nis in Spiritu Sancto regenerata, & secundum præce-
ptum Apostolicum *et misericordia et misericordia nunc eternam* educata, disci-
plinæ laudabilis fructus per omnem vitam, quæ ipsi
juxta promissionem divinam & longa & fortunata con-
surgit, uberrimos jucundissimosq; & protulit & percepit;
Imbuta enim in teneris annis verbi divini, quanta sexui
isti ad salutem necessaria est, cognitione, ejusdem amo-
remi perpetuò retinuit, & honestâ morum gubernatione
pietatem suam abunde declaravit. Cumque inter pro-
spera vitæ humanæ haud postremum locum teneat con-
jugij honorati & concordis felicitas: ea quoque ipsi di-
vinitus fuit concessa. Jam enim matura viro, & rei fa-
miliaris administrâdæ gnara consensu matris (hæc enim
tum in vivis adhuc erat: pater verò anno clo. I.
LXXXIV. fatis decesserat) nuptum data est anno clo.
Iac. XVIII. d. XIX. Maj. viro amplissimo consultissi-
moque

moque DN. JOANNI PÆTRÆO Consuli de hac
Repub. bene merito & adhuc præclare mercente. Cum
quo per ipsos quatuor & tringta annos concordissimè
vixit. Nam quod Pomponius Atticus de se olim gloria-
tus est; nunquam cum Conjuge in gratiam se rediisse,
quia nunquam ab ea discessionem fecisset: idem jure
prædicare amplissimus Consul de sua uxore potest, quæ
ne nolle quidem quod ipse vellet, aut velle quod ipse
nolle, unquam fere in animum induxit suum. Itaque
velut Geometræ dicunt, lineas & superficies se ipsis non
moveri, sed corporum comitari motus: sic neque illa
suo genio ferebatur, sed Mariti, cuius læta & tristia, seria
& joca pari vultu, pari animo sequebatur. At quod nihil
liberorum sustulit, hoc unum ad summam felicitatis
deesse videbatur. Fuit singulari pietate à teneris usque
nec leviore prudentia in gubernanda familia celebrata.
De quibusvis, & egenis quidem præcipue, ita bene mere-
ri semper studuit, ut putaret, id natum hominem, id Chri-
stianum quam maximè decere. Matri in primis suæ gran-
dævæ jam & viribus fractæ singulari solatio & adju-
mento fuit, quæ verò anno c. 15. ioc. XXIII. mortalita-
tem suam explevit. Circa anni hujus initium Nostra
malè habere primitus cepit. Ac quamvis nihil magis
haberet in votis, quām ut cum amantissimo marito ali-
quanto diutius vivere posset; tamen id omne Deo com-
misit, & pro pietate sua in ejus voluntate se acquiescere
velle professa assidue est. Nam resistere, sacrilegium sta-
tuebat. Cu[m]igitur vires indies magis magisque proster-
nerentur, ut de recuperanda sanitate mature desperaret,
seriò se præparavit ad abitum: Ante omnia verò mini-
strum verbi advocandum curavit, à quo d. XX. Mart.
facta exomologesi sacro viatico corporis & sanguinis

Dominici instrueretur? Quo in negotio se ita gesit, ut
plura devotissimæ pietatis documenta præberet. Die
XXIX. Mart. inter sanctas & dignas Christianâ fæminâ
voces, circa secundam & tertiam pomeridianam, eas ipsas
horas, quibus occupati cohonestandis SCHONER-
MACKIÆ exequiis fuimus, vitam in his terris suam
placidè finivit. Jam igitur inspicit felicem illum librum
cui inscripta inter hæredes cæli, nomina sanctissima, du-
dum fuit. Plantata est in hortum immortalitatis, inserta
arbori salutis, propagata ad scaturigines aquarum viyen-
tium. Ea nunc bona posidet, quæ, sicut ipse qui tribuit,
immutabilia sunt & sempiterna. Vivit nunc posita extra
omnem fortunæ aleam, omnibusq; cumulata lætitijs in-
cedit. Tempus brevierit, quod nos nostris, & nostros no-
bis restituet, ubi novos & æternos amores ordiemur,
quos neq; Diaboli furor, neque malitia hominum, neque
mortis luctuosa necessitas turbare, aut finire poterit. Ha-
ve, have anima beatissima, & æternum vale! Nos eo or-
dine, quo Deus & Natura jusserit, sequemur. Interea gra-
tam tui memoriam, quod possumus, & desiderium nun-
quam non fovebimus.

Ad Te verò Consul amplissime, dolor hic in primis
spectat. Cum ipsa quidem defuncta, quæ ætatem ultra-
annum climaëticum, ut vocant, heroicum perduxit,
præclarè nunc actum est. Tu privatus illâ, quæ curarum
levamen, vite precumque socia, & in utraque fortuna
constans ac fidelis assecula erat. Huic tanto & tam æquo
mærori tuo ut ex satietate illius & ex die longa, quæ do-
lorem etiam contumacissimum absorbet, remedium tibi
aliquid, majus ab animi tui fortitudine promittimus:
ita & reliqua, quibus in argumentum uti hic solemus,
quæque finem luctus faciendum potius quam expectan-
dum

dum suadent, ante oculos tibi propones, & meditatione
profutura cogitabis. A clemente vos nimis Dei
Opt. Max. manu, cuius beneficio & illam tenuisti, & cæ-
teris rebus auctus es, disparatos esse. Audire eum vota
equidem nostra, sed in quantum nobis utile: & de hoc
illi unicè constare. Liberos ex conjugio isto non sustu-
listi? Inclyta, crede. Respublica nostra tibi F I L I Æ ali-
cujus instar est, quæ Te.

Βαδεῖαν ἀνταπεῖ Αἰχὶ Φρενὸς καρπός μέμψον

Εξ ἡς τὰ κεδύα βλαστάνει βελλούμαται.

Sulcum profundum habentem in pectore consitum.

Tuo, veneranda consilia unde pullulent,
privato dolore confici sane nequaquam velit, hac
præsertim tempestate, ubi quicquid boni aut cordati
è meliore ævo reliquum nobis fuit, sensim intercidere,
contra vero infrequentes admodum arbores succrescere
aut seri animadvertisit, quæ in demortuarum locum sub-
stitutæ alteri aliquando seculo prosint. Serva te lauda-
tissimæ Reipublicæ nostræ, atque adeò toti Patriæ, ut in
obeundo, quod sustines, gravissimo munere, porrò quo-
que fidem, prudentiam, atque industriam, uti hactenus
strenue fecisti, eidem probare, & Bono Publico, cui pro-
priè destinatus es, diutissimè superstes esse possis. Nos
Deum auctorem omnis tolerantiae & consolationis
humiliter veneramur, ut vi & efficaciâ spiritus sui in te
operari, tranquillitatem menti, sanitatem corpori, nobis
verò omnibus beatitudinem utramque largiri benignè
velit: donec aliquando immensâ ejus miseratione ex
hoc lacrymoso ergastulo liberati partem accipiamus ejus
gloriarum, quam Dominus noster C H R I S T U S J E S U S
unicus Salutis auctor, sanguine suo ac morte peperit no-
bis & acquisivit.

Quod

Quod unum ergò reliquum est, CIVES ACADE-
MICI ut frequentes matronæ honestissimæ exsequias
prosequi velitis, etiam atque etiam vos admonemus.
Ita meretur de tota hac civitate & privatum de ordine
nostro vir amplissimus & consultissimus DN. JOAN-
NES PETRÆUS, Consul, nunc eheu! viduus mæstissi-
mus; ut quamvis prolixè omnia faciamus, quæ ad coho-
nestandas exequias hasce præstari possunt, vix tamen
satis officio nostro, aut meritis tanti viri paria facere
posse videamur. Ite ergo, ite frequentes, & vobiscum
hoc Regis sapientissimi dictum, verbis B. Hieronymi ex-
positum cogitate: utilius est ad exequias funeris, quām
ad domum ire convivij: quia ibi recordatione conditi-
onis nostræ & fragilitatis humanæ ex præsenti cadave-
re commonemur; in convivij autem lætitia, etiamsi quid
timoris habere videbamur, amittimus. P. P. IV.

Non April. Anno recuperatæ gratiæ

cl. Icc. LII.

Conventus fiet ad H. I. in Aðc
B. Jacobo sacra.





rientia: in iis tamen magis conspiciuntur, qui mortales
presi diurno, illis, quae in morbo, ut rursum S.
loquitur, gravia sunt, metu mortis, dolore corporis
luptatum intermissione cruciantur. Illorum eni-
ditionem si cum iis comparemus, qui vix paucorum
valetudine adversa tentati, aut etiam repente
quo casu vitam finiunt; hos quidem unam: illo
innumeras mortes pertulisse dixerimus. Neque
humana sapientia causam invenire potest, cum u-
do omnes nascamur, cur non una omnes item ra-
denascamur. Sola sacra Scriptura non casu ista
sed a divina docet voluntate proficisci; atque
dem ut Deum amantibus omnia, quantumvis ar-
deantur & aspera, ad bonum adjumento sint, ne
ulla vel calamitas, vel angustia, vel vexatio po-
lectione Dei separare ac divellere. Ut autem sa-
non est communem recusare fortunam, & pro-
postulare, sed quamvis id fiat, nihilo tamen seciu-
manet decretum illud: Cuivis potest accidere
cuiquam accidit: unde sapiens Hebræus mortu-
ducit his verbis superstites compellantem: me
judicii mei; erit enim tale etiam tuum: mihi her-
odie: Sic prudentiae est Christianæ nullam au-
veræ pietatis occasionem negligere. Hanc ergo
etiam hodierno die nobis Deus præbere voluerit
debet pietatis & humanitatis studiosos sibi deess-
camur enim rursus ad domum luctus, quam melius
sapientiae scholam esse Regum sapientissimus, qui
mum convivij pronunciat. Nam post morbus
diuturnum vitam in his terris tandem suam placuisse
SOPHIA Schraders/ matrona honestissima,
plissimi consultissimique DN. JOANNIS PE

A 2




Image Engineering Scan Reference Chart TE263 Serial No. 0311